



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 64. Guilielmi Egonis de Fürstenberg Cardinalis fata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII cabat, atque apud PP. Carmelitas  
 A. C. 1704. Discalceatos Romæ in Monasterio  
 S. Mariæ ad Scallam sibi cellam seligebat, in qua reclusus Quadragesimæ  
 aliarumque festivitatum tempore autum  
 num & cogitationes ad solum Deum  
 referebat: Obiit denique die octava  
 Martii anno ætatis suæ sexagesimo  
 octavo.

## §. LXIV.

*Guilielmi Egonis de Fürstenberg Car-  
dinalis fata.*

*Vit. Card.*  
 pag. 40.  
*Vid. supra*  
 l. 206. p. 661.  
 § 723. §  
 l. 210.  
 pag. 538.  
 § seqq.

Post tot variantis fortunæ ludibria,  
 concitatosque motus tandem mor-  
 tis imperio quievit Guilielmus Ego-  
 nis de Fürstenberg. Hic nunc profanæ,  
 nunc sacræ militiæ adscriptus, demum  
 exuto sago plurium Ecclesiarum Cano-  
 nicatus, præsertim Coloniensem & Ar-  
 gentinensem obtinuit: In Gallias profes-  
 sus, atque ab Anna Regina Ludov. XIV.  
 Matre plurimi habitus, alieno gentis  
 suæ Germanicæ genio Germanum exiit.  
 Gallumque ore, corde, & opere pro-  
 fessus est, ac Maximilianum Henricum  
 Coloniensem Electorem & Archiepis-  
 scopum, cui ab arcanis erat, non mo-  
 do ad Gallicas partes pertraxit, sed et-  
 iam excluso Leopoldo I. Ferdinandum  
 Bavaricæ Electorem ad Cæsaream di-  
 gnam



gnitatem promovere adlaboravit: suo Sæc. XVII.  
autem proposito dejectus, eo tempore, A. C. 1704.  
quo ejus familia Principum honore ab  
Imperatore decorabatur, Electori Co-  
loniensi consilia Austriacæ Domui per-  
niciosa, Imperioque Germanico, ejus-  
que libertatibus nociva suggessit, eum-  
que induxit, ut Coloniensis civitatis  
imperium, dominiumque sibi vindicare  
niteretur: ubi vero Magistratus urbi  
suæ Batavorum præsidia imposuerat,  
Fürstenbergius inito fœdere cum Ber-  
nardo de Gallen Monasteriensi Epi-  
scopo, obtentis Gallorum suppetiis bel-  
lum Batavis, utriusque tamen Diæcesis  
incolis ingens damnum, calamitatem-  
que intulit, in sui moliminis præmium  
duas præpingues Abbatias a Galliarum  
Rege mercatus. Tam immodico in  
Gallos affectu, atque in Cæsarem odio  
flagrabat, ut quondam in Moguntina  
Aula Electorali mensæ accumbens,  
cum pocula Cæsaris saluti libarentur,  
vinum in terram effunderet, ast hunc  
contemptum ulturus Comes Hazfeldius  
in Fürstenbergii, qui Gallici Regis so-  
teria bibebat, faciem vitrum vino ple-  
num projecit: Haud ignorabat Impe-  
rator crebra & publica convitia, quibus  
Fürstenbergius Sacram Majestatem ap-  
petere audebat, eapropter, cum præ-  
sentis belli incentor sine publicis man-



Sæc. XVII. dati literis tanquam Franciæ Orator  
 A. C. 1704 Colonienſi pacis negotiationi ſeſe in-  
 gereret, Cæſaris juſſu captus Colonia  
 Viennem abducebatur, abſdubio ma-  
 ledici oris crimen capitis ſupplicio ex-  
 piaturus, niſi Papæ Nuntius objecta  
 Eccleſiaſticæ immunitatis religione Cæ-  
 ſarem abſterruiſſet: Ejus quoque liber-  
 tatem non modo Franciſcus Argenti-  
 nenſis Epicoſopus illius frater aſſiduis  
 precibus, ſed ipſemet Franciæ Rex de-  
 nuntiato bello procurarunt. Mortuo  
 ejus Fratre in Argentinenſem Epicoſo-  
 pum electus, ab ipſo Innocentio XI.  
 Purpuram accepit, eo animo conceſ-  
 ſam, ut novæ dignitatis reſpectu Aula  
 Electoris Colonienſis abſtineret: Aſt  
 Fürſtenbergius ibidem remanens, quan-  
 tas turbas poſt Electoris obitum con-  
 citarit, jam ſupra retulimus: Demum  
 aut tot turbarum tædio, aut corraſas  
 Eccleſiæ Colonienſis opes in tutum lo-  
 cum transferendi ſtudio, obtenta Re-  
 gis venia, primo Metas, poſtea Pari-  
 ſios ſeceſſit, Regis animum contra Pa-  
 pam tam vehementer concitans, ut  
 Rex Avenionem ſuis copiis muniret,  
 per Talonum aculeatas literas contra  
 Papam ſpargeret, & Rainutium Papæ  
 Nuntium cuſtodizæ dari juberet: Ob-  
 eunte Innocentio XI. Fürſtenbergius  
 ad Sacra comitia Romam venit, quibus  
 abſo-



absolutis infalutato hospite Roma Pa-  
 rifios reversus, in Abbatia S. Germani  
 de Pratis die decima quinta Aprilis e-  
 menso septuagesimo quinto ætatis anno  
 decessit, qui, si animi sinceritatem, re-  
 ligionem, vitæ continentiam cum in-  
 genii acie, rerumque gerendarum dex-  
 teritate conjunctam habuisset, nominis  
 sui famam apud posteros immortalem  
 reddidisset.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1704.

§. LXV.

*Danielis Marci Delphini Cardinalis  
 extrema.*

Hunc morte sequebatur Daniel Mar-  
 cus Delphinus ex nobilissimo Ve-  
 netorum genere ortus, qui positis stu-  
 diorum rudimentis in spem altiorum  
 prælara ingenii divinatione adolevit,  
 atque a suo Patruo Joanne celeberrimo  
 Cardinale Romam evocatus, varia obi-  
 bat munia, demum vero utriusque,  
 ut vocant, Signaturæ Referendarius,  
 Avenionensis Pro-Legatus, Damasce-  
 nus Archipræsul, Pontificius in Aula  
 Gallica Nuntius, ac denique ab Inno-  
 centio XII. Cardinalis renuntiabatur.  
 Inde Romam reversus, a Papa Brixiano  
 Episcopatu auctus, ad suam Diæcesin  
 contendit, ubi etiam omnia boni Pa-  
 storis officia explens, Venetiis die

P 5 quinta